



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

11. Dies Augusti. Explicando te à mundo, simplex; Implicando, duplex eris.  
S. August. Hom. 2. in Joan.

---

---

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

pere conciliet animos hominum comitas, affabilisq[ue]  
verborum. Dicam igitur cum Poëta:

*Si vis esse comes mihi: mores accipe comes.*

## 11. DIES AUGUSTI.

Explicando te à mundo, simplex; Implicando, duplex  
eris. *S. August. Hom. 2. in Joan.*

Simpli-  
citas.

**S**implex vocatur moribus, qui  
commistus, ac multiplex non, est  
nec in varia abit, sed unius tantum,  
& incompositæ est formæ. Itaque  
simplicitas signat animum non effusum in multa, nec  
distractum in res externas. Non rarò simplicitas, ani-  
mi lenitatem, referendæ injuriæ nesciam denotat,  
conjunctam cum quadam naturæ bonitate quæ quis  
ægerimè inducitur; ut de alio suspicetur, præter-  
quam quod apertum est, forisq[ue] proditur. Unde qui  
transactâ injuriâ, iram abjiciunt, nec in aliquo pecto-  
ris recessu, ac fluxu recondunt, & ideò de vindicanda  
injuria non sunt solliciti, meritò dicuntur simplices  
sicut columbæ, (a) quæ, (teste S. Cypriano) est simplex  
animal, & latum, nō felle amarum, non moribus saevum,  
non unguium laceratione violentum. Itaque simplici-  
tas, est quiddam è pulcherrimis perfectionibus con-  
flatum, eximia vitæ ratio, omni decore, ac venustate  
concinna, coram Deo pretiosa, quam etiam uno ver-  
bo dicimus Innocentiam, cùm abest ab animo scelus,  
à corde, vindictæ cupiditas, ab ore, loquendi callidi-  
tas, à moribus, duplicitas, atque ut in lyrâ, est omnium  
symphonia, hoc est breviter, candida simplicitas, &  
animi

(a) *De vit. Eccl.*

animi candor, qui candor non fucatus est, nec pictæ frontis inane tectorium, sed ab ipso manans animo, à dolo, fucò, & simulatione alienus.

II. Itaque Clemens Alexandrinus dicit, (a) Christianos esse mysticos agnellos, & vitulos Prophetarum lactantes, & pullos Gallinarum, quos Ecclesia congregat sub alis, vocat eos & puerulos, qui sunt ad persuasionem faciles, ad bonitatem tractabiles, bile vacui, malitiæ expertes, malæ fraudis ignari. Hanc virtutem quantoperè voluerit nobis esse commendatam Christus, Politicæ novæ conditor, prodidit in ipsis suis incunabulis. Nam vix natus, lucem capit intueri, humanisque oculis ducere diem, cum cælestes misit nuntios ad cogendam simplicium pastorum pompam, superbis quidem horum unctionibus despiciabilem, sed militiæ cælesti venerandam, qui in auro, gemmisque rutilantes, nec potentiâ tumidi, aut Philosophiâ gloriosi, sed moribus candidi, simplicitate, verecundiâque decori, adventantem in mundum Messiam honorarent. Quod Divinæ Providentiæ consilium magnificè prædicat. D. Ambrosius, (b) *Non Gymnasia chorus referat sapientum, sed plebem Domini simplicem requisivit, quæ psalteriæ audita, & fucate nesciret. Simplicitas enim queritur, non ambitio desideratur.* Illius quoque natale, ut simplicium Regis, grex immolatorum tener, & puerorum infantium legiones, non tam lauro triumphali, & purpurâ Martirii, quàm candida animi innocentia condecorarunt.

III. Par judicium deinde Christus in Apostolis legendis ostendit, quos Principes Religionis esse cupiebat.

Pars II.

R r

picbat.

(a) 1. pradag. c. 5. (b) l. 2. in Luc.

piebat. Neque enim illos cepit è Scribarum arrogantium cætu, & supercilio Phariseorum, qui ad fraudem, & malitiam eruditi, populi applausum callido artificio emerebantur. Non è fori nanina facundia illos eduxit, aut è concilio Sanedrim, aut Caiphæ Prætorio, sed è communi vita simplices, innocentia vitæ, & bonitate commendatos. Unde, cum ad eum aliquando venisset, versipellis quidam, ac fastu turgidus, seseque offerret, ut sequeretur, (a) *Sequor te Domine quocunque ieris.* Christus, qui abdita pectoris penerrabat, *Vulpes, ait, foveas habent, & volatilia cæli, nidos.* Quæ verba sic interpretatur D. Augustinus, (b) *Habitant in te insidia sicut vulpes, habitat superbia, sicut volatilia cæli, filius autem hominis simplex, contra insidias, humilis, contra superbiam, non habet, ubi caput suum reclinet.* Porro, simplicitatis hic mihi videtur longè præstabilissimus fructus, quem Salomon compendio contraxit, dicens, (c) *Cum simplicibus sermocinatio ejus.* Magnum omninò privilegium est simplicitatis, quod habeat Deum contubernalem, & dulcissimo illius usu, & familiaritate perfruatur, quod magnus ille Dominus, in cujus lace, ut minuti papilionum tremunt Seraphini, intimus velut domesticus velit esse simplicium, cum illis instituat colloquia, & dialogos, illis patefaciat sua arcana. Felix, qui involutus suâ simplicitate, instar parvuli se omnibus submittit, dicitque cum Propheta, (d) *Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum.* O simplices! jam verè filii Dei, quia vermiculi. Sic repere, est Deo adrepere, sic abjici, est in Deum rejici. Si cupis

(a) *Matt. 8.* (b) *Serm. 6. de verb. Dom.* (c) *Prov. 10. 32.* (d) *Psal. 21.*

Augustus. *Tessera.* 627  
igitur pace frui, & Dei familiaritate uti, observa illud  
dogma.

*Ne sis corde duplex; humili sed pectore simplex.*

## 12. DIES AUGUSTI.

Sapè magnorum fides, ex non magnis venit. *Quin-*  
*tilianus Declamat. 388.*

Fidelitas. I. **U**T simplicitas verborum, sic  
fidelitas, est quædam veritas  
factorum, quam Seneca (a)  
*Sanctissimum humani pectoris*  
*bonum appellat.* Peribit humana societas, si obligatam  
fidem frangere liceat; si deceptus, alteri se non am-  
plius audeat committere; si nomine tenus amicos, ut  
hostes in insidiis positos formidet: sic peribit amicitia,  
maximus humanæ vitæ fructus, potissimum in  
adversis perfugium. Etiam hostibus fidem servan-  
dam asserunt sapientes omnes. Sic Fabricius pugna-  
turus contra Pyrrhum Regem, à Medico Regis epi-  
stolam accepit, qua promittebat se Regem veneno  
necaturum, si juberet. Sed eam epistolam misit Fa-  
britius ad Regem crudelissimum, & admonuit; sibi  
caveret ab insidiis potiùs amicorum, quàm hostium.  
Quis non stupeat Fabritii ergà juratissimum hostem,  
tantam fidem, quem amicè monuit, ut tutè declina-  
ret periculum, cui poterat procurare exitium? Qui  
fidem præsertim publicam fallit, obscurat totius gen-  
tis suæ gloriam; spe levissimi præsentis commodi,  
innumeris se damnis imposterum exponit: nam illi  
fides non habebitur; datam læsi non servabunt, vel-  
ut id illis liceat justâ talionis pœnâ. Delusi furere

R 1 2

quo-

(a) *Epist. i. c. 88.*